

F. N. 3.  
**PARADOXORVM  
LOGICORVM**  
**DECAS TERTIA**

*quam*  
ex decreto  
**Amplissimæ Facultatis Philosophicæ**  
**PRO LOCO**

*IN EADEM*  
MAIORVM MORE, OBTINENDO  
**in Florentissima Academia Jenensi**

Publico examini exhibit

**M. JESAIAS FRID. Beissenborn/**  
RESPONDENTE

**JOH. VVILHELMO Stod/**  
Ekkolstadio Eisenb.

*in Auditorio Philosophico*  
d. Sept. A. M. DC. II.C.

Coll. diss. A  
130, 34

JENÆ , Literis MULLERIANIS.

27.

a. cxxx. 34.

PARADISO MURATORI

DECUS FARTA

AMBULANTIA EPILOGIUM

PRO LOGO



MURATORI LIBRARY

in Hohenkirchiana Academica Jenensi

IESIAS HERD. LIBERUM

RESONANS

JOH. VAIHEIMO

LIBERUM

in AMBERG BIBLIOTHECA

AV. DEC. 1750

LIBRARIUS MURATORI



**Cum Deo!**

## PARADOXON I.

**Deus est substantia, nec tam  
men in prædicamento  
substantiæ.**

### I.



Eum esse substantiam, si voce substantiæ vel absolute essentiam, vel ens per se existens, nulloque indigum subjecto denotari velis, ex eo non obscure proditur, quod Deus per actuosam essentiæ virtutem primò & ex seipso existit, non positivè quidem & in modum caussæ, dando sibi esse; sed negativè, dum

non est ab alio: quod item unicus simul & maximi Entis nomine καὶ ἔξοχὸν & jure optumo insignitur. Vt hinc Parmen.

A 2. At 2. evi colitudo evi mides

1339

wides ex vero dicere non dubitet : *Nihil esse nisi unum, h.e.*  
*unum Deum ; neque probè minus Plato censeat : ( Lib. VI.*  
*de Rep. p. 479.) Deum solo Entis conceptu neutiquam con-*  
*tentum esse, qvum totam ejus amplitudinem non exhauriat*  
*solum & in sese cohibeat, sed infinite quoque ultra illam*  
*fundetur. Quæ cauſa est, qvur quidam Deum Θεός τον,*  
*quām ἔσιας περίην satius vocari judicaverint. Nimirum,*  
*tam eximiè exſtit ſummus Deus, ut quidquid conditorum*  
*conferas cum Eo, quodammodo non ens vel ( mollius si lo-*  
*quar) ens imperfectius seu numeris quaſi paucioribus, ac ve-*  
*lut accidens in ordine ad Deum eſſe deprehendas. Non*  
*quaſi Deus conditorum ſubjectum, & ut accidentis ſui ſit ſub-*  
*ſtantia : ſed modo longè eminentiori, quia cuncta ( etiam*  
*non refragante Paulo Ad. XVII. 28.) in Deo ſunt, vivunt &*  
*moventur, ita ut ſi ipſe non eſſet, quod fieri non potest, ni-*  
*hil horum quidquam eſſet. Quòd enim res creatæ ſunt aut*  
*exiſtunt, Dei ſumant beneficio ; utpotè à cujus eſſentia*  
*& bonitate divina omnis harum exiſtentia propender & eſſen-*  
*tia, tanquam à principio primo, exemplari, effeſtivo & finali-*  
*li ; non verò tanquam à principio eſſentiali ac intrinſecus*  
*conſtitutivo. Si enim immutabilis ac infinitus Deus rerum*  
*creataram, fluxarum certè atque finitarum eſſet eſſentia, aut*  
*pars intrinſecus componens illarum eſſentiam, ut quondam*  
*male arbitrabatur Val. Weigelius, cui hodieque propius ad-*  
*plaudunt alii ; absurdē hinc conſequeretur, Deum eſſe Lapi-*  
*dis eſſentiam & lapidem : Deo pariter accidere, quidquid ac-*  
*cidat creatis, eumque ſio in ligno frangi aut comburi. Quæ*  
*omnia ut dictu horrenda ſunt, absurdam omnino verōque*  
*orbam arguunt ſententiam. Vnde ſollicitius hīc diſtin-*  
*gvendum eſt inter ipsam Dei eſſentiam, à qua creata pendent ef-*  
*ficienter, & inter aliquam eſſentiae ac bonitatis div. similitudi-*  
*nem, quam rudem licet & crassam creata gerunt formaliter,*  
*atque eo in primis conſpicuam, quod omnes horum perfectio-*  
*nes, ſive eſſentiales ſive accidentales, ad divinæ eſſentiae &*  
per-

perfectionis velut primigeniae exemplar, remorè quidem & deficienter, sint expressæ. Quemadmodum enim accidentia, ut eleganter habent verba Soneri (Comment. ad Metah. Arist. p. 361.) à substantia manant, & à substantia tām esse (i.e. existere) quam essentiam (i.e. formam) habent, attamen accidentia formaliter accepta non constituuntur ex substantia, neque substantia pars est essentia accidentis : Ita à primo Ente omnia manant, & sunt, & ab eo tām existentiam quam essentiam habent, nec tamen primum Ens est pars quidditatis strictè accepta, licet omnium quidditates in primam resolvantur.

## II.

Ex hoc autem, quod Deum substantiam esse adserimus, non Eum statim angusto prædicamentorum ordini inferimus, aut violentius intrudimus. Nam 1) substantia, quæ prædicamento continetur, è sententia Peripateticorum, est composita, in quam videlicet, ceu in subjectum, accidentia, quibus dat esse suum, possunt cadere : Sed ullaunne in Deo accidens, ullane detur compositio realis, aut quidquam præter Deum sit in Deo ? Et contra jus & fas, in Deo perfectissimo simul & simplicissimo imperfectionis quidquam ponere : sed accidens substantiæ est imperfectius ; quamvis ipsa substantia ab accidente perficiatur, eoque nonnihil immutetur : quod sane Deo haut quadrat, qui tūm se ipso est perfectus, neque ita capax accidentium, tūm ita immutabilis, ut ne umbra quidem τροπῆς, aut παραλλαγῆ in ipso sit. 2) Deinde loci hujus substantia, et si substantiæ non est contraria, potest tamen contraria suo modo & successivè, nisi à natura ad alterum contrariorum jam determinata sit, recipere : At Deus si contraria reciperet, ipsa etiam recipere accidentia, inter quæ sola (accepta strictus) contraria habentur ; sed consequentis falsitas jamjam emicuit, quid-

ni & antecedentis ? 3) Etiam substantia nulla completere est in substantia: Deus vero quoad substantiam in omnibus substantiis est, ut non localiter seu modo quantitativo, aut per ~~continguum~~ corporibus solitum, quum sit spiritus materiae expers, quae nihil impuritatis contrahere aut qualitate injucundâ affici potest. 4) Et quæso, quo non tenereris vitio, si accidentia substantiis confundens uni solum atque summo prædicandi generi adscriberes ? Annon igitur eodem, nî majori, versareris in errore, si Deum cum creatis mistum prædicamento uni obtruderes ? Etenim ex accidentis & substantiæ comixtione quæ rectè metuis incommoda ; eadem &, crede, graviora Dei cum creatis confusio minabitur ; Quod inter Deum & creatâ, quam inter substantiam & accidens longè minor sit proportio. Conf. Dn. D. Bechm. Theol. Pol. p. 186. sq. & p. 194. §. 2. it. Dil. Parens Nucl. Log. §. 40. a. & 42. \*

## P A R. II.

# Non omnis substantia per se subsistit.

Si *subsistens* vox rigorosius sumta significet certum existendi modum, quo res per & in se ita existit, ut non aliunde sustentetur ; (qui modus in Ente intellectuali speciatim dicitur *personalitas*) minus cautè substantia per ens, quod per se subsistit describitur. Quippe ad personam quoque requiritur, ut sit hoc aliquid, singulare quid, & substantia completa. Nec enim *universalia*, licet substantiæ sint, personæ dicuntur, nec substantiæ *singulares* incompletæ per se subsistunt. Immò nec humana Christi natura, & essen-

essentiam habens & existentiam, præcisè habet subsistentiam seu personalitatem propriam, quia sustentatur subsistentiâ infinitâ τὸς λόγος, in quam per unionem personalem adsumta est *Humanitas*, quæ tamen per hoc non fit incompleta, mutila aut imperfectior, quām est natura humana in nobis. Quum perfectio rei ex essentia ipsa, non ex subsistentia astumetur? ac prætarea personalitatis propriæ carentia in humana Christi natura penletur perfectissimè communiicatâ subsistentiâ τὸς λόγος divinâ, in quam illa recepta, & cum quas simul persona est. Bechm. Annot. in Hutteri Comp. Th. p. 87. §. 1. n. 3. & p. 126. §. 2.

## PAR. III.

# Quantitatis multa est & nulla efficacia.

Quantitatia *per se* consideratae nulla est efficacia. Quantum enim quantumcunque etiam est, non agit ratione quantitatis & molis, (quippe quæ tantum ex materia est, ut puro principio passivo) sed ratione qualitatis & virtutis. Quando verò plus efficit *majus quantum minori* quanto; idem non est ex quantitate, sed qualitate ac virtute *majore*, magis camulata aut conjuncta. Nucl. Log. §. 50. \*

PAR-

V. 8A9

## P A R. IV.

**Habitus est facile & difficulter mobilis.**

Habitus quoad *essentiam* ita firmiter inhæret subje-  
cto, ut *de se* in illo diutissimè manere ac *difficulter*, immò  
vix tolli possit; quo ipso discriminatur à *dispositione*, quæ  
leviter tantum afficit animum, indequè facile dimoveri de  
statu suo potest, ut etiam accidit iis, qui per fanctoriè sal-  
tem aliquid didicerunt: *Facile* autem *mobilis* est habitus  
quoad *statum*, prout ex *accidente* & *ratione* subiecti aliter dis-  
positi interdum res aliter se habet. Ita *Theologiae Habitus*  
(ceu docet ὁ πτῶν Bechmannus, Patronus ac Præceptor meus  
maximus, submissoque animi affectu ætatem venerandus) in quantum supernaturalis est, & quoad *habitudinem* intel-  
lectus ad adsentiendum firmius & facilius revelationi divinæ;  
quæ à supernaturali iofluxu Spiritus S. per scripturas operan-  
tis pendet, *de se* & *ratione* *essentia* est *difficulter mobilis*; *at diu-*  
*nitus* manere posset in subiecto; sed si *ratione statu* spe-  
tur, subiecto suo per peccata contra conscientiam & vitæ im-  
pietatem facile expellitur; etsi cum illo hujus acceptioonis ha-  
bitu Theologiæ non simul intereat *dispositio* & *habilitas* intel-  
lectus ad rectè adprehendendam div. revelationem & conclu-  
siones inde deducendas, quæ intellectui est naturalis, & per  
peccata *acc* physicè depellitur nec moraliter. Bechm. Theo!  
Pol. p. 48. 49. §. 3. & cit Nucl. Log. §. 53. b.

## P A R. V.

## P A R. V.

Nullus datur habitus natu-  
ræ insitus.

Non mentem nostram imbuit opinio eorum, qui *principia* scientiarum prima, vel certè *habitum* eorum, eò, quod *notas* judicantur *naturâ*, *nativum* nobis esse adserere non dubitant; sed justis confirmati rationibus adseveramus, *potentiam* quidē *cognoscendi* (Deum &c) *principia*, *eamq; proxu-*  
*mam*, ingeneratam esse homini, quæ animum ad actum ejus faciat magnopere propensum; *actum* verò ipsum, ac inde solùm pullulantem *habitum* cognitionis hujus, non nisi prævia cognitione terminorum, qui ope specierum ab objecto impressarum adprehenduntur, ac sensuum incepto rite munere, se demum prodere, ita, ut ad principiorum adsensus intellectus se per se immediate & citra dissertationem aut institutionem, propter innatam quandam perfectionem eique superadditam inclinationem determinet.

## P A R. VI.

Dantur etiam habitus unico  
actu adquisiti.

Quamvis plerumque aliàs ex una actione non fiat statim habitus, sed ex multis, ita ut paullatim subjectum  
B confort.

conformatur, quemadmodum plures è tecto cadentes guttæ ad cavandum lapidem requiruntur : Potest tamen habitus etiam *actu unico* adquiri, scil. in intellectu, & si *actus satis fortis & efficax* sit. Ac licet id non adeo obvium videatur in habitibus perfectivis ; tamen manifestum est in habitibus vitiosis & corruptivis concretè spectatis, qui *unico actu* introduci possunt. Sic unus actus vitiosus Angelorum laporum habitum vitiosum intulit : Unus actus parentum potest facere habitum vitiosum in prole, ut in morbis hereditariis. Idem dixeris de contactu leprosi, de virtutis cultore in vitium prolapso, de milite transfuga &c. Vid. Scherz. Colleg. Antisoc. Disp. 31. obj. 3. ed. alt. p. 105. Calov. Synops. Controv. ed. nov. p. 213. Nucl. Log. § 55. a.

## PAR. VII.

# Agere & pati est & non est suppositi,

*Actio & passio convenit* (seu rectè & verè tribuitur) *ultimatae* (vel per denominationem ultimatam) *supposito*, (qui latius extendunt, addunt: *vel illi, quod se habet per modum suppositi*:) ita ut non modo actione vel passione posita ponatur ipsum suppositum, sed & actio vel passio partis sit etiam totius suppositi, quamvis totius actio & passio non sit partis cuiuslibet. Sæpe vero agere & pati non est suppositi aut *suppositi solius*, quando agens vel patiens non est formaliter suppositum, seu actio vel passio in casu recto propriè iis, tanquam principiis adæquatis, adscribitur, quæ non sunt supposita.

posita. Licet ea, quæ non sunt supposita, ab actione vel passione non *ultimare* denominantur. Ita quia *humana Christi natura* verè est passa, non ideo humanitas *præcise* est persona, quia tantum agens completum & non sustentatum ab alio, si sit intelligens, persona est; verè tamen passus est totus Christus Θεός Ἰησοῦς, seu filius Dei incarnatus, (ut persona) scilicet secundum humanam naturam personaliter sibi unitam, tametsi non secundum ipsam div. naturam, quippe impassibilem. Conf. Form. Concord. p. 607. & Nucl. Log. §. 70.

## P A R. VIII.

# Cum tempore est Deus, non in tempore.

Deus quidem vi suæ immutabilitatis propriè non est in tempore, aut ei, sicut corpus corruptibile, subjicitur; est tamen simul cum tempore, vel etiam tunc, quum est tempus. Tota enim Dei æternitas simul exsistit, & coexsistit tempori, ceu durationi successivæ, omnibusque ejus partibus, quarum una post alteram decedit, adeoque seorsum seu divisim, non conjunctim, spectatis. Nec inde verò hæc Dei æternitas est successiva nominanda, quod successivis illa coexsistit. Quia *partim* coexistens succeditibus non cum illis statim succedit, sicut mobilibus coexistens non simul semper moverur: *partim* quia *succesio* *partium*, *præteriti*, *præsentis* & *futuri* non est *Deo intrinseca*, *sed extrinseca*, in tempore, quod habet partes sibi invicem succedentes: Licet duratio Dei ordinem importet ad tem-

pus & ejus partes, quatenus iisdē coexistit, ac sine his satis concipi à nobis vix queat. Hanc enim partium, præteriti sc. & futuri successionē haut dari in Deo e jusve æternitate, ex eō luculentè scitur, quia æternitas Dei quoad rem est ipsa divina essentia, quæ tamen immutabilis est, partiumque, quarum una alteri succedit, plane nescia, quum talis successio mutationem importet, quæ Deo repugnat. Igitur intrinsecæ æternitati DEI respectu nostri non denegamus successionem, sed extrinsecam, quæ est in tempore, & quatenus per hanc eadem concipitur & facilius cognoscitur; sicut etiam duratio hominis motu cœli vel solis mensurari potest. Signanter verò addidi: respectu nostri. Nam absolutè ac in se nulla certè extrinseca duratio (ne ipsum quidem tempus, in quo habetur partium successio) est rei duranti, quum duratio quævis à parte rei sit ipsa existentia ab ente non distincta, nisi ratione, ac intrinsecus duranti rei conveniat. Vid. Bechm. Th. Pol. p. 211. 212. seq. & cit. Nucl. Log. §. 71.

## P A R. IX.

# Inter contradictoria datur & non datur medium.

Inter formaliter contradictoria plane nullum datur medium; sed virtualiter contradictoria non admittunt medium sub communi diviso contentum; quamvis admittant, si spectentur absolutè, & sine respectu ad id, sub quo continentur. Ita inter substantiam & accidens (sine respectu ad Ens, sub quo continentur) dari dicitur medium, nempe Non ens. Sic inter hominem & brutum (sine respectu Animalis,

*malis*, sub quo continentur) datur medium, nempe *lapis*, *plan-*  
*ta &c.* Minus autem bene isti faciunt, qui inter *creatum* &  
*non creatum*, ceu virtualiter contradictoria, effingunt medium,  
nempe *introductum*, quod iis *malum morale seu peccatum*  
habetur; Haut paullò forsan melius hoc *introductum* pos-  
set dici, *formaliter non esse ens*, sed *boni privationem*. Nucl.  
Log. §. 278. n. V. & §. 80. \*

## PAR. X.

# A privatione ad habitum da- tur & non datur mutatio.

*Non datur à privatione formam consequente, quæ*  
*est in corruptionibus, & totali seu actione simul & potentiam*  
*tollente, ad eundem numero habitum seu formam positivam,*  
*modo naturali & immediato, mutatio aut regressus, quia*  
*viribus naturæ effici nequit, ut idem illud, quod corruptum*  
*est, redeat. Datur tamen à privatione formam precedente,*  
*quæ est in generationibus, ad habitum, seu novam positivam*  
*formam, ex perpetuo naturæ ordine mutatio. Neque minus*  
*à privatione tam partiali quam (etsi rariūs) totali ad eundem*  
*specie habitum naturaliter & (in primis quoad totalem) media-  
tè datur regressus. Quin immo privationem utramque non*  
*solum ad habitum specie, sed quoque numero eundem per ab-  
solutam Dei potentiam reproduci posse certum est. Nec*  
*enim ea specie, adeoque etiam numero statim diffunt, quæ*  
*actionibus specie diversis producuntur. Sicut (cum Summo*  
*nostro Bechmanno loqui liceat.) Adolescens Nainticu pri-  
mùm productus fuit naturali generatione patrem, post  
mortem resuscitatus fuit à Christo aliâ actione, nempe su-  
pernaturali, dici tamen non potest, adolescentem istum re-  
fusca-*

suscitatum specie aut numerō diversum fuisse ab eo, qualis ante mortem fuit, aut corpus ejus specie vel numerō diversum fuisse. Ceterum si quæ privatio formæ antea subjecto naturalis per omnipotentiam Dei ad eandem specie formam vel habitum restituitur, non ea reproducta forma subjecto amplius semper naturalis est, sed manet supernaturalis. Ita imago Dei specialis hodie in nobis reparata est, manetque donum supernaturale, etiamsi naturale fuerit in statu integratatis. Sicut nobis *visus noster* est naturalis, qui tamen Cœcis natis & à Christo sanatis supernaturalis erat. Bechm. in Theol. Pol. p. 1094. & Nucl. L. §. 278. n. IV.

## Corollaria.

I. Differt strictè loquendo *Orator* & *Eloquens* à *Diserto*, *Facundo*, *Dicendi perito*. Hinc apud Cic. de Orat. l. i. n. 94. & Quintil. l. 8. c. 1. *M. Antonius* ait, à se *disertos visos esse multos*, eloquentem autem neminem. His omnibus verò inferior & quasi oppositus est *Loquens*.

## II. Una

II. Una quæque res ad Rheticam quidem pertinet , ita ut vel vilissimis in rebus hæcce Facultas exerceri possit ; (hinc etiam vel exercendo vel ostentando ingenio Polycrates, Rhetor Athen. laudavit mures , Catullus passrem , Virgilius culicem , Lucianus muscam , Pzellus cum aliis pulicem , Majoragius lutum , Heinsius asinum & pediculum:) sed videndum tamen semper est , quid expediat.

III. A foro oratorio exsulare meritò jubentur Themata pietati , honestati sensuimque testimonio manifesto contraria.

IV. Rectissime dixit Cæsar : Delectus verborum est origo eloquentiæ, ( scil. & parandæ & judicandæ.)

V. Accidens prædicabile cum prædicamentali confundere, est Genus & Proprium absurdè incusare contingentia.

VI. In effectibus extraordinariis & super-

pernaturalibus aut gratiis Deus non  
tantum agit, ut causa universalis, sed  
particularis prima.

VII. Ceremoniae in religione, quatenus  
sunt ita ei adproprietate, ut propterea  
nota sint & character sive signum, quo  
ab aliis religionibus discernitur, sine  
periculo nunquam mutatae fuerunt,  
neque hodie tutò immutantur, quia  
vulgus à tali mutatione argumenta-  
tur ad ipsius religionis mutationem.

IX. Negato Deo, actum est de omni  
fide historica.

IX. Veritatis cognoscendae causa Dia-  
bolum consulere haut licet, quippe  
licet Diabolus vera subinde dicat,  
nunquam tamen verè, sed animo  
fallendi.



Q. 1. dies. A. 130. music' 34